




MENOLOGIVM
CISTERTIENSE
NOTATIONIBVS
ILLVSTRATVM:

AVCTORE
R. P. CHRYSOSTOMO HENRIQUEZ
HORTENSI, S. TH. MAGISTRO,
ORDINIS CISTERTIENSIS
HISTORIOGRAPHO GENERALI.

Accedunt seorsim
Regula, Constitutiones, et Priuilegia
eiusdem Ordinis; ac Congregationum
Monasticarum et Militarium
quæ Cistertiense Institutum
obseruant.



MENOLOGIVM,

REGVLA, CONSTITVTIONES

E T

P R I V I L E G I A

O R D I N I S

CISTERTIENSIS.

viri precibus Deiparae Virginis gratiam obtinere desiderabat. Quod autem non illa careret, diuinitus intellexit idem Henricus, ut habet Caesarius in Dialogis dist. 7. cap. 15. Verba autem Caesarii sunt hæc: *Supradictum Conuersum Henricum Monachus quidam vite laudabilis, cuius nomen prodere non licet, obnoxius rogauit, ut beatam Dei-genitricem Virginem Mariam pro se interpellaret, cum ab illa visitaretur. Quod cum promississet, & die quadam, dicto Completorio, in Oratorio grangia, cuius Magister erat, pro ipso preces funderet, apparuerunt praei tres matronae mira pulchritudinis. Ad quorum decorem cum stuperes, & quanam essent, vel unde venirent intra se miraretur, una ex eis cogitationibus eius respondit: Ego sum Maria Magdalena, hæc est vniuersalis Domina Dei-genitrix Virgo Maria, digito eam demonstrans, tertia verò est Elisabeth. & adiunxit: Tu ora pro Monacho illo, nomen eius exprimens, magis autem indiges ut ipse oret pro te; sicque disparuerunt. Super eiusdem Monachi caput, cum adhuc esset Diaconus, & Euangelium legeret ad Missam, idem Conuersus*

columbam vidit descendentem, & usque ad finem lectionis ibidem manentem. Quo in Cœnobio habitum Cisterciensem sanctus hic vir assumpserit, ignoratur, nec Philippus Seguinus, qui eius nomen, à Caesario prætermisum, nobis tradidit, aliquid certi adstruit. Constat tamen eum in Hemmenrodeni Cœnobio aliquamdiu vixisse, ut idem Caesarius testatur lib. 8. cap. 38. his verbis: Dum in eadem Domo (Hemmenrodeni scilicet) Monachus quidam inuenis Euangelium legeret in Conuentu, prædictus Henricus columbam candidissimam super caput eius descendere vidit, illic quiete residentem usque ad finem Euangelij. Fuerat enim idem Monachus ibi hospes, & tam bona vite, ut tanta gratia dignus haberetur. Processu temporis, cum factus fuisset Sacerdos, cuidam Monacho ex Fratibus eius Sacerdos quidam secularis dicebat: Ego frequenter video columbam super caput illius Monachi, quando Missas celebrat. Non tamen puto eum aliquando Missa eius interfuisse corpore, sed spiritu; est enim vir religiosus, multas habens reuelationes à Deo.

Tertio Nonas Decembris.



IN Tuscia beatus ^a Galganus eremita, qui sub instituto Cisterciensi fideliter Altissimo militans, sponsam, diuitias & sæculum derelinquens, vitam anachoreticam elegit; in qua, diuina voce confirmatus, usque ad finem vitæ sanctè perseuerauit, & varijs miraculis insignis migravit ad Christum, & Sanctorum numero fuit adscriptus. Villarij in Brabantia obitus beati ^b Alberti Abbatis Cœnobij Beatæ-Mariæ de ^c Oliua Ordinis Cisterciensis in Prussia, qui gregi Dominico plurimis sanctitatis exemplis præluxit, magnaque meritorum gloria coruscans, in Monasterio Villariensi, sicut diu antea, audita sanctitate loci, exoptauerat, pijsimè obijt.

DECEMBRIS 3.

GALGANVS ^a.] Martyrologium Romanum cum Baronio, Philippus Serarius de Sanctis Italiae, Descriptio ciuitatis Senensis inter Sanctos illius territorij, Gregorius Lombardus qui eius Vitam scripsit, Robertus Rufca in suo Compendio, tit. *Conuersi Sancti ac Beati Ordinis Cisterciensis*, Angelus Manrique Laureà Euangelicà lib. 3. disc. 7. §. 9. Arnoldus de Wion in suo Martyrologio Monastico, vbi ait: *Senis in Tuscia sancti Galgani Eremita Ordinis Cisterciensis. de quo etiam in ms. Catalogo Sanctorum Ordinis habetur: In Tuscia sanctus Galganus Conuersus, qui sub instituto Cisterciensi fideliter Christo militans, solitariam vitam in monte Sepio transegit. Vitam eius sub compendio ex Philippo Serario & Auberto Miræo sic accipe: Hic Clusidino pago, seu castro agri Senensis, parentibus antea sterilibus, Eugenio Tertio Pontifice Maximo, ac Frederico primo Imperatore natus, voluptuosam primùm vitam duxit, donec patre defuncto, à Michaële Archangelo in somnis bis monitus, ut Christi miles fieret, in montem Sepium venit: ubi tertio ab eodem Angelo*

monetur, ut mundum deserens Deo vacaret. A quo consilio mater & propinqui illum, uxorem ei elegantem & diuitem proponentes, auertere summo periculo conantur. Cum vero ab eis persuasus ad sponsam videntem equitaret, sic substitit equus, ut calcariibus progredi coactus, locutus feratur, se ab Angelo progredi prohibitum. Cuius etiam in saxo vestigia apud eum montem monstrantur. Quo miraculo mutatus, vitam religiosam amplexus est, & varias demonis tentationes superauit. Sponsam, quam ei cognati obtulerunt, ad virginitatem seruandam induxit. Absentia, ut presentia vidit: prauitudo futura: demones ab obsessis fugauit, agros sanitatem restituit. Panis venenatus sibi à quodam porrectus comestusque, haud ei nocuit. Denique ad aeternam requiem ijs verbis vocatus, Satis est quod laborasti, mecum nunc quod seminasti, obdormiuit in Domino, &c.

^b Alberti.] De eo antiqua Monumenta Ecclesie Villariensis, & Chronicon Abbatù eiusdem Domus, vbi in Arnulpho de Gestele legitur: *Tunc temporis D. Albertus Abbas de Oliua, vadens ad Capitulum generale, hic infirmari cepit. Hic autem per*

per multa tempora, audito bono nomine personarum Domus huius, in loco isto mori exoptamus, & modo voti compos effectus, in Capitulo nostro repositus est, &c. Obijt circa annum 1272.

c Oliua.] Varia sunt eiusdem nominis Cœnobia in Ordine nostro. Magnificum quoddam sub titulo Sanctæ Mariæ de Oliua in regno Nauarræ extat, cuius loci, nostro tempore, fuit Abbas Ludouicus de Almiendariz Monachus Vallis-paradisi, mihi familiariter notus, qui postquam aliquot annos Dômum illam rexisset, ad Episcopa-

tum Iacensem, inde ad Archiepiscopatum Tarracensem euectus est. In Belgio Virgines Cistercienses aliud Cœnobium Beatæ Mariæ, de Oliua nuncupatum, in Hannoniâ prope Mariemont possident, à beato Guillelmo Eremita Cisterciensi constructum, in quo floruit beata Beatrix Sacrista. De Oliuensi Cœnobio in Prussia constructo iam alibi egimus. Eius Abbas & Monachi à Sueco ante duos annos è propria Abbatia profligati, in Cuprunicensi Cœnobio & in alijs charitatiuè recepti sunt.

Pridie Nonas Decembris.



IN Lubania beatus^a Christianus Monachus, quem Pontifex summus Episcopum designauit, & ad Prouinciam Lubaniæ Christo conuertendam direxit: qui varias ciuitates excurrans, magnos inde fructus animarum ex semine Euangelij deportauit, & post varios labores, ætate grandæuus, miraculis clarus, & plenus virtutibus, obdormiuit in Domino. In Belgiobeatâ^b Ioanna Conuersa Bello-pratensis Cœnobij, quæ^c nobilitatem generis admiranda humilitate decorauit, & post obitum^d in magna claritate & gloria visa est.

D E C E M B R I S 4.



CHRIſTIANVS .] De quo Guido Clara-vallis in historia Virorû illustrium Ordinum monasticorum, Angelus Manrique Laureâ Euangelicâ in Catalogo Sanctorum Ordinis Cisterciensis §. 5. his verbis: *Sanctus Christianus Episcopus Kelmensis, Apostolus Lubaniæ, quarta die Decembris.* Calendarium Gallicum Sanctorum Ordinis Cisterciensis hac die, ubi legitur: *Christianum Episcopum, Apostolum Lubaniæ.* Martinus Cromerus lib. 7. Rerum Polon. Fuit hic sanctus vir primus qui in partibus illis Christianam Religionem annuntiavit & propagauit: qui cum prædicatione multos ad fidem conuertisset, proteruos bonique publici perturbatores armis subiugandos censuit. Tantum ergo prædicatione sua effecit, ut multi Principes, inter quos Henricus Dux Silesiæ, Wratislauenſis & Lubassenſis Episcopi, cruce signati, cum copiosissimo exercitu in partes illas in auxilium Christiani & Christianorum contra barbaros conuolarint. Quorum ope Kelmensis & Lubaniensis Prouinciæ in potestatem redactæ, Christianus ibi primus Episcopus constituitur, quo per eum barbari ad Religionem Christianam adducerentur: cuique & eius successoribus Episcopis Prussæ siue Kelmensibus partem tractûs Kelmensis, & in eo arces Grudentum, Vapſcum, Coprinum, Villſazum, Colnum, Ruch, Riſſinum, Turnum-profundum, Plinum, & Plochum, cum omnibus villis & prædijs, ac centum prætereâ pagis, assignauerunt. Adiecit etiam Gedeon Episcopus Plo-

centis, assentiente Collegio Sacerdotum, Tarnouiam, quæ Torunia est, & Papouiam, cum omnibus item pagis & prædijs adiunctis, omnique ius Ecclesiasticum quod habebat in ditione Kelmensi.

^b Ioanna.] Cognomento Spiritus. de qua Monumenta eiusdem Domus, Arnoldus de Raiffe in Aucario ad Molanum hac die; Ioannes Waesbergius lib. 3. Gerardi-montij cap. 4.

c Nobilitatem generis.] Nam, ut ait Arnoldus, *hac nobilibus parentibus orta, ab ijs petijt & obſinuit, ut in dicto Monasterio laicorum seu Conuersarum Sororum numero adſcriberetur. Obſinuit autem parentibus hac lege, ut uilibus officijs hand implicaretur. Post professionem, pietatis & humilitatis operibus, & abiectionibus totius Domus ministerijs sese addixit. Quin & Abbatissam obnixè rogauit, ut sibi liceret, Sororibus in inuentorum stabulis occupatis, ferre superpetias, quod & impetrauit.*

d In magna claritate.] Post mortem verò suam, inquit idem Auctor, *cuidam sorori suæ immenso lumine circumfusa apparuit: rogantiq; uindenam ipsi tanta gloria contigisset; eam sibi in sua magna humilitatis premium concessam respondit. Cumq; soror superstes defunctam hanc Ioannam aduertisset manum clausam & contractam tenere, rogassetq; ut eam aperiret, negauit illa hoc se facere posse, quòd in ea lapidem pretiosum tantisplendoris gestaret, ut humanus oculus, statim ad illum adspèctum, visu priuaretur. Huncq; sibi datum asseruit, pro uilibus operibus, quibus se uiuens libenter exerciſſet.*